

Campano, de Ciceronis decessu: affirmat, se officio suo satis esse facturum.

M. Cælius M. T. Cicer. S. D.

Sanè quām litteris C. Cassii, et Dejotari sumus commoti. Nam Cassius eis Euphratem copias parthorum esse scripsit: Dejotarus, prefectas per Commagenem in provinciam nostram. Ego quidem præcipuum metum, quod ad te attinebat, habui, qui scirem quām paratus ab exercitu esses, ne quod hic tumultus dignitati tuæ periculum afferret. Nam de vita, si parator ab exercitu esses, timuisse. Nunc hæc exiguitas copiarum, recessum, non distinctionem mihi tuam præsagiebat. Quomodo acciperent homines, quām probabilis necessitas futura esset, vereor etiam nunc, neque prius desinam formidare, quām tetigisse te Italiam audiero. Sed de parthorum transitu nuntii varios sermones excitarunt. Alius enim, Pompejum mittendum; aliis, ab urbe non removendum; aliis, Cæsarem cum suo exercitu; aliis, consules, nemo tamen, ex S. C. privatos. Consules autem, quia verentur, ne illud S. C. fiat, ut paludati exeant, et contumeliosè præter eos ad alium res transferatur, omnino senatum haberi nolunt: usque eo, ut parùm diligentes in republica videantur. Sed honestè, siye negligentia, sive inertia est, sive ille quem proposui, metus, latet sub hac temperantiae estimatione nolle provinciam. A te litteræ non venerunt: et, nisi Dejotari subsecutæ essent, in eam opinionem Cassius venerat, quæ deripuisset ipse, ut viderentur ab hoste vastata, finxisse bellum, et Arabas in provinciam immisisse, eosque

parthos esse, senatui renuntiassse. Quarè tibi suadeo, quicumque est istic status rerum, diligenter, et cauē perscribas; ne aut velificatus alicujus dicaris, aut aliquid, quod referret, scire reticuisse. Nunc exitus est anni. Nam ego has litteras ad xiv. Kal. Dec. scripsi. Plane nihil video ante Kal. Jan. agi posse. Nostri Marcellum, quām tardus, et parum efficax sit, itemque Servium, quām cunctator. Cujusmodi putas hos esse? aut qui id, quod nolint, confidere posse, qui, quæ cupiunt, tamen ita frigidè agunt, ut nolle existimentur? Novis magistris autem, si parthicum bellum erit, hæc causa primos menses occupabit. Sin autem, aut non erit istic bellum, aut tantum erit, ut vos, aut successores, parvis additis copiis, sustinere possint. Curionem video, se dupliciter jactaturum, primū, ut aliquid Cæsari adimat; indè, ut aliquid Pompejo tribuat, quodvis quamlibet tenue munuscum. Paullus porrò non humanè de provincia loquitur. Hujus cupiditati occursurus est Furnius noster. Plures suspicari non possum. Hæc novi: alia, quæ possunt accidere, non cerno. Multa tempus afferre, et præparata multa scio: sed intrà fines hos, quæcumque acciderint, vertentur. Illud addo, actiones C. Curionis de agro Campano: de quo negant Cæsarem laborare, sed Pompejum valde velle, ne vacuus advenienti Cæsari pateat. Quod ad tuum decessum attinet, illud tibi non possum polliceri, me curaturum, ut tibi succedatur: illud certè præstabo, ne quid amplius protogetur. Tui consilii est, si tempus, si senatus cogit, si honestè à nobis recusari non poterit, velisse perseverare: mei officii est meminisse, qua-

ostentatione decadens, mihi, ne paterer fieri, mandaris. Vale.

## ARGUMENTUM.

*Capita sunt hujas epistolæ, de Appio à Dolabellæ accusato, de Ciceronis officio, de affinitate cum Dolabellæ jungenda, de republ. Huic respondet epistola decimatertia libri secundi.*

M. Cœlius M. T. Ciceroni S. D.

Non dubito, quin perlatum ad te sit Appium à Dolabellæ reum factum: sanequām non ea, qua existimaveram, invidia. Neque enim stultè Appius, qui simul atque Dolabellæ accessit ad tribunal, introierat in urbem, triumphique postulationem abjecerat. Quo facto retudit sermones, pariorque visus est, quām speraverat accusator. Is nunc in te maximam spem habet. Scio, tibi eum non esse odio. Quām velis eum obligare, in tua manu est: cum quo simultates si tibi non fuissent, liberiū tibi de tota re esset. Nunc si ad illam summam veritatem legitimū jus exegeris, cāvendum tibi erit, ne parūm simpliciter, et candidè posuisse inimicitias videaris. In hanc partem porrò tutum tibi erit, si quid volueris, gratificari. Nemo enim necessitudine, et amicitia te deterrit ab officio dicet. Illud mihi occurrit, quod inter postulationem, et nominis delationem uxor à Dolabellæ discessi. Quid mihi discedens mandaris, memini: quid ego tibi scripserim, te non arbitror oblitum. Non est jam tempus plura narrandi. Unum illud monete te possum: si res tibi non displicebit, tamen hoc tempore nihil de tua voluntate ostendas; et spectes, quemadmodum exeat ex hac causa:

ne qua invidiosum tibi sit, si emanarit. Porrò significatio ulla si intercesserit, clariūs quām deceat, aut expediat, fiat. Neque ille tacere eam rem poterit, quæ suæ spei tām opportuna acciderit, quæque in negotio confiendo tanto illustrior erit: cum præsentim is sit, qui si perniciosum sciret esse, loqui de hac re vix tamen se contineret. Pompejus dicitur valdè pro Appio laborare: ut etiam putent alterutrum de filiis ad te missurum. Hic nos omnes absolvimus; et herculè confecta omnia fœda, et inhonesta sunt. Consules autem habemus summa diligentia: adhuc S. C. nisi de feriis latini, nullum facere potuerunt. Curioni nostro tribunatus conglaçiat, sed dici non potest, quo modo hic omnia jaceant. Nisi ego cum tabernariis, et aquariis pugnarem, veterus civitatem occupasset. Si parthi vos nihil calefaciunt, nos hic frigore frigescimus. Tamen quoquo modo hic omnia jaceant, potuit sine parthis. Bibulus in Amano nescio quid cohorticularum amisit. Hoc sic nunciatum est. Quod tibi suprà scripsi, Curionem frigere: jam calet; nam ferventissimè concerpitur: levissimè enim, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum, et pro Cæsare loqui cœpit, legemque variam non dissimilem agrariæ Rulli, et alimentariam, quas jubet ædiles metiri, jactavit. Hoc nondum fecerat, cum priorem epistolæ partem scripsi. Amabo te, si quid, quod opus fuerit, Appio facies, ponito me in gratia. De Dolabellæ integrum tibi reserves, suadeo, et huic rei, de qua loquor, et dignitati tuæ, æquitatisque opinioni hoc ita facere expedit. Turpe tibi erit, pantheras græcas me non habere. Vale.

## ARGUMENTUM.

*Scribit de belli partichi periculo, de Cornificii nuptiis, de Valeriae divorcio, de Ocellae adulterio.*

M. Cœlius M. T. Ciceroni S. D.

Quām citò tu istinc decidere cupias, nescio; ego quidem eò magis, quo adhuc felicius rem gessisti. Num istic eris, de belli partichi periculo crenelabor, ne hunc risum meum metus aliquis perturbet. Breviores has litteras properanti publicanorum tabellario subitò dedi: tuo liberto pluribus verbis scriptas pridiè dederam. Res autem novæ nullæ sanè acciderunt; nisi hæc vis tibi scribi, quæ certè vis. Cornificius adolescens, Orestillæ filiam, sibi respondit. Paula Valeria soror Triariorum, divorciatum sine causa, quo die vir è provincia venturus erat, fecit. Noptura est D. Bruto. Nondùm retulerat. Multa in hoc genere incredibilia, te absente, acciderunt. Ser. Ocella nemini persuasisset, se mœchum esse, nisi triduo bis deprehensus esset. Quæris, ubi? abi herculè ego minimè vellem. Relinquo tibi, quod ab aliis quæras. Neque enim displicet mihi, imperatorem singulos percunctari, cum qua sit aliquis deprehensus. Vale.

## ARGUMENTUM.

*Supplicationes Ciceroni à senatu decretas, significat pro re in provincia bene gesta; et quæ fuerit cujusque vel sententia, vel voluntas, dicit, adscribit etiam de repub.*

M. Cœlius M. T. Ciceroni S. D.

Non diù, sed acriter nos tuæ supplicationes torserunt. Incideramus enim in difficilem nodum

Nam Curio, tibi cupidissimus, cui omnibus rationibus comitiales eripiebantur, negabat, se ullo modo pati posse, decerni supplicationes; ne, si quid furore Pauli adeptus esset boni, sua culpa videretur amisisse, et prævaricator causæ publicæ existimaretur. Itaqù ad pactionem descendimus, et confirmarunt consules, se his supplicationibus in hunc annum non usuros. Planè, quod utrisque consulibus gratias agas, est: Paulo magis certè. Nam Marcellus sic respondit ei, spem in istis supplicationibus non habere: Paulus se omnino in hunc annum non edictum. Renuntiatum nobis erat, Hirrum diutius dicturum. Prendimus eum: non modò non fecit, sed cum de hostibus ageretur, et posset rem impedire, si, ut numeraretur, postularet, tacuit. Tantùm Catoni assensus est, quid de te et locutus honorificè, non decretat supplicationes. Tertius ad hos Favonius accessit. Quarè pro cujusque natura, et instituto gratiæ sunt agendæ: his quod tantùm voluntatem ostenderunt pro sententia: cum impedire possent, non pugnabant: Curioni vero, quod de suarum actionum cursu tua causa deflexit. Nam Furnius, et Lentulus, ut debuerunt, quasi eorum res esset, unà nobiscum circumierunt, et laborarunt. Balbi quoque Cornelii operam, et sedulitatem laudare possum. Nam cum Curione vehementè locutus est, et eum, si aliter fecisset, injuriam Cæsari facturum dixit: tūm ejus fidem in suspicionem adduxit. Decrérant, qui iniquè transigi volebant, Domitii, Scipiones. Quibus hac re ad intercessionem evocandam interpellantibus, venustissimè Curio respondit, se eò libertius non intercedere, quod quosdam, qui de-

cernerent, viderent confici nolle. Quod ad rem, attinet, in unam causam omnis contentio conjecta est: de provinciis, inquam, adhuc est. Incubuisse cum senatu Pompejus videtur, ut Cæsar ante Id. Nov. decedat. Curio omnia potius, subire constituit, quam id pati; cæteras suas abjecit actiones. Nostri porro, quos tu benè nosti, ad extremum certamen rem deducere non audent. Scena rei totius hæc. Pompejus, tamquam Cæsarem non impugnet, sed, quod illi æquum putet, constituat, ait, Curionem querere discordias. Valde autem non vult, et planè timet, Cæsarem consulem designari prius, quam exercitum, et provinciam tradiderit. Accipitur satis malè à Curione: et totus ejus secundus consulatus exagitatur. Hoc tibi dico: si omnibus rebus prement Curionem, Cæsar defendetur: intercessorem si (quod videntur) reformidabunt, Cæsar, quoad volet, manebit. Quam quisque sententiam dixerit, in commentario est rerum urbanarum: è quo tu, quæ digna sunt, selige: multa transi, in primis ludorum explosions, et funerum, et cæterarum ineptiarum plura habet inutilia. Denique malo in hanc partem errare, ut, quæ non desideras, audias, quam quidquam, quod opus est, prætermittatur. Tibi curæ fuisse de Sitione negotio, gaudeo: sed quando suspicaris minùs certa fide eos tibi visos, tamquam procurator sic agas, rogo. Vale.

## ARGUMENTUM.

*Gratulatur de affinitate Dolabellæ: de Curionis intercessione, et de provinciis quid actum sit, significat, et de Hortensii præsenti jam morte nuntiat.*

M. Cœlius M. T. Cicer. S. D.

Gratulor tibi affinitate viri mediusfidius optimi; nam hoc ego de illo existimo. Cætera porro, quibus adhuc ille sibi parum utilis fuit, et ætate jam sunt decursa, et consuetudine, atque auctoritate tua, pudore Tulliæ, si qua restabunt, confido celeriter sublatum iiri: non est enim pugnax vitiis, neque habes ad id, quod melius sit, intelligendum: deinde, quod maximum est, ego illum valde amo. Vides, Cicero, Curionem nostrum lautum intercessionis de provinciis exitum habuisse? nam cum de intercessione referretur: quæ relatio siebat ex S. C. primaque M. Marcelli sententia pronuntiata esset, qui agendum cum tribunis pleb. censebat: frequens senatus in alia omnia iiri. Stomacho est scilicet Pompejus Magnus nunc ita languenti, ut vix id, quod sibi placeat, reperiatur: transierant illuc, ut ratio esset ejus habenda, qui neque exercitum, neque provincias traderet: quemadmodum hoc Pompejus latus sit, cum cognoscat, quidnam reipub. futurum sit, si non aut possit, aut non curet, vos senes divites videritis. Q. Hortensius, cum has litteras scripsi, animam agebat. Vale.

## ARGUMENTUM.

*Quæritur de Appii Claudii injuriis.*

M. Cœlius M. T. Cicer. S. D.

Pudet me tibi confiteri, et queri de Appii, hominis ingratissimi, injuriis, qui me odisse, quia magna mihi debebat beneficia, cœpit: et, cum homo avarus, ut ea solveret, sibi imperare non posset, occultum bellum mihi indixit: ita occultum tamen, ut multi mihi renuntiarent, et ipse facile animadverterem, malè eum de me cogitare. Posteaquam verò compéri, eum collegium tentasse, deindè apertè cum quibusdam locutum cum L. Domitio, ut nunc est, mihi inimicissimo homine, deliberare velle, hoc munuscum deferre Cn. Pompejo: ipsum reprehenderem, et ab eo deprecaret injuriam, quem vitam mīhi debere putarem, impetrare à me non potuit: quid ergo est? tamen quasi aliquid, amicis, qui testes erant meorum in illum meritorum, locutus sum: posteaquam illum ne cui satisfaceret quidèm, me dignum habere sensi; malui collegæ ejus, homini alienissimo mihi, et propter amicitiam tuam, non æquissimo, me obligare, quām illius simiæ vultum subire. Id postquam rescīt, incanduit, et me causam inimicitarum quærere clamitavit; ut, si mihi pecunia minus satisfecisset, per hanc speciem simultatis eum consecrater. Postea non destitit accersere palam Servium accusatorem, inire cum Domitio consilia: quibus cùm parùm procederet, ut ulla lege mihi ponerent accusatorem, compellari ea lege me voluerunt, qua dicere non poterant. Insolentissi-

## LIBER VIII.

mi homines summis circensisbus ludis meis postulandum me lege Scantinnia curant. Vix hoc erat Pola elocutus, cùm ego Appium censorem eadem lege postulavi. Quod meliùs caderet, nihil vidi. Nam sic est à populo, et non infimo quoque approbatum, ut majorem Appio dolorem fama, quām postulatio, attulerit. Præterea cœpi sacellum, in domo quod est, ab eo petere. Conturbat me mora servi hujus, qui tibi litteras attulit: nam acceptis prioribus litteris, ampliùs quadraginta mansit. Quid tibi scribam, nescio. Scis Domitio diem timori esse? expecto te valde, et quamprimum vide cupio. A te peto, ut meas injurias proinde doleas, ut me existimas et dolere, et ulcisci tuas solere. Vale.

## ARGUMENTUM.

*Hæc epistola multa complectitur, de L. Domitii Abenobarbi repulsa in auguratu, de Saturnio ab Cn. Domitio Calvino accusatio, de Pompeii, Cæsarisque discordia, de Appii ad corrigendam civitatem ridicula diligentia.*

M. Cœlius M. T. C. S. D.

Tanti non fuit Arsacen capere, Seleuciam expugnare, ut earum rerum, quæ hic gestæ sunt, spectaculo careres. Nunquam tibi oculi doluisser si in repulsa Domitii vultum vidisses. Magna illa comitia fuerunt: et planè studia ex partium sensu apparuerunt: perpauci, necessitudinem sequuti, officium præstiterunt. Itaque mihi est Domitius inimicissimus, ut ne familiarem quidèm suum quemquam tam oderit, quām me: atque eò magis, quod per injuriam sibi putat ereptum, cuius ego

auctor fuerim: nunc furit tām gaviosos homines suum dolorem, unumque me studiosiorem Antonii. Nam Cn. Saturnium adolescentem ipse Cn. Domitius reum fecit, sanè quām superiore à vita invidiosum: quod judicium nunc in expectatione est, etiam in bona spe, post Sex. Peducāi absolutiōnem. De summa republ. sāpē tibi scripsi, ne etiam num pacem non videre: et quō propriū ea contencio, quām fieri necesse est, accedit, eō clariū id periculum apparet. Propositum hoc est, de quo qui rerum potiuntur, sunt dimicaturi: quod Cn. Pompejus constituit non pati, C. Cæsarem consulem aliter fieri, nisi exercitum, et provincias tradiderit: Cæsari autem persuasum est, se salvum esse non posse, si ab exercitu recesserit: fert illam tamen conditionem, ut ambo exercitus tradant. Sic illi amores, et invidiosa conjunctio non ad occultam recidit obtrectationem, sed ad bellum se erumpit: neque mearum rerum quid consiliī capiam, reporio: neque dubito, quin te quoque hæc deliberatio sit perturbatura. Nam mihi cum hominibus his et gratia, et necessitudo est. Tum causam illam, non homines odi. Illud te non arbitror fugere, quin homines in dissensione domestica debeant, quandiu civilitè sine armis certetur, honestiorem sequi partem: ubi ad bellum, et castra ventum sit, firmiorem: et id melius statuere, quod tutius sit. In hac discordia video, Cn. Pompejum, senatum, qui que res judicant, secum habiturum: ad Cæsarem omnes, qui cum timore, aut mala spe vivant, accessuros: exercitum conferendum non esse. Omnipotens sat spatii sit ad considerandas utriusque copias, et ad eligendam partem. Propè obli-

tus sum, quod maximè fuit scribendum. Scis Aprium censorem hic ostenta facere? de signis, et tabulis, de agri modo, de ære alieno acerrimè age-re? Persuasum est ei, censuram lomentum, aut nitrum esse. Errare mihi videtur, nam dum sordes eluere vult; venas sibi omnes, et viscera aperit. Curre per deos, atque homines, et quām primum hoc risum veni: legis Scantiniæ judicium apud Drusum fieri: Aprium de tabulis, et signis age-re. Crede mihi, est properandum. Curio noster sapienter id, quod remisit de stipendio Pompeii, fecisse existimatur. Ad summam quæris, quid putem futurum? si alteruter eorum ad parthicum bellum non eat, video maghas impendere discordias, quas ferrum, et vis judicabit: uterque et animo, et copiis est paratus. Si sine summo periculo fieri posset, magnum, et jucundum tibi fortuna spectaculum parabat. Vale.

## ARGUMENTUM.

Pompejum vituperat, Cæsarem laudat: addit de cupiditate sua convenienti, et alloquendi Ciceronis, et de itinere ad Alpes.

M. Coelius M. T. Cic. S. D.

Ecquando tu hominem ineptiorem, quām tuum Cn. Pompejum, vidisti, qui tantas turbas, qui tām rugax esset, commorit? Ecquem autem Cæsare nostro acriorem in rebus gerendis, eodem in victoria temperatiorem aut legisti, aut audisti? Quid est? nunc tibi nostri milites, qui durissimis, et frigidissimis locis, tetrica hyeme, bellum ambulando confecerunt, malis orbiculatis esse pasti videntur:

quid? jam, inquis, gloriōsē omnia! Si scias, quām sollicitus sum, tum hanc meam gloriam, quā ad me nihil pertinet, derideas: quā tibi exponere, nisi corām, non possum: idque celerit̄ fore spe-  
x̄o. Nam me, cum expulisset ex Italia Pompejum, constituit ad urbem vocare: id, quōd jam existimo confectum: nisi maluit Pompejum Brundusii circumcedere. Peream, si minima causa est properandi isto mihi quōd te videre, et omnia intima conferre discupio. Habeo autem quām multa: et ve-  
reor (quod solet fieri) ne, cum te video, omnia obliviscar. Sed tamen quodnam ob scelus iter mihi necessarium retrō ad Alpes versus incidit? adē quōd Intemellii in armis sunt: neque de magna causa; Bellienus, verna Demetriū, qui ibi cum præsidio erat, Domitium quemdam, nobilem illie Cæsario hospitem, à contraria factione nummis acceptis comprehendit, et strangulavit: civitas de armā iit. Eò nunc cohortibus mihi per nives eundum est. Usquequaque, inquis, se Domitii mali dant. Velle quidem Venere prognatus tantū animi habuisset in vestro Domitio, quantū ipse catenatus in hoc habuit. Ciceroni F. S. D. Vale.

## ARGUMENTUM.

Pulso ex Italia Pompejo, suadet Ciceroni Cælius, ne afflictam fortunam sequatur, consulitque, ut in aliquem locum tū bello vacuum se recipiat. Suas est ab utili contrā honestum; nam esse cum Pompejo resp. videbatur. Rescribit huic Cicero lib. 2. epist. 16.

M. Cælius M. T. Cicer. S. D.

Exanimatus sum tuis litteris, quibus te nihil nisi triste cogitare ostendisti: neque id, quid es-

set, perscr̄psisti: neque non tamen quale esset, quod cogitares, aperuisti. Has ad te illico litteras scripsi. Per fortunas tuas, Cicero, per liberos te oro, et obsecro, ne quid gravius de salute, et in-  
columitate tua consulas. Nam deos, hominesque, amicitiamque nostram testificor, me neque temerē tibi prædixisse, neque temerē monuisse, sed postquām Cæsarem convenire, sententiamque ejus, qualis futura esset, parta victoria, con-  
gnooverim, te certiore fecisse. Si existimas eam-  
dem rationem fore Cæsari in dimittendis adver-  
sariis, et conditionibus ferendis, erras. Nihil, nisi atrox, et sævum, cogitat, atquē etiam lo-  
quitur. Iratus Senatui exiit: his intercessionibus planè incitatus est. Non meherculē erit depreca-  
tioni locus. Quarē, si tibi tu, si filius unicus, si  
domus, si spes tuæ reliquæ tibi curæ sunt; si ali-  
quid apud te nos, si vir optimus gener tuus val-  
let (quorum fortunas non debes velle conturbare)  
sequere eam causam, in cuius victoria salus nos-  
tra est, ne aut odisse, aut relinquere cogamur;  
aut impiam cupiditatem contrā salutem tuam ha-  
beamus. Denique illud cogita, quod offensæ fue-  
rit in ista cunctatione te priūs subiisse. Nunc te  
contrā victorem facere, quem dubiis rebus lādere  
noluisti, et ad eos fugatos accedere, quos resis-  
tentis sequi nolueris, summæ stultitiae est. Vide,  
ne, dum pudet te parūm optimatē esse, parūm  
diligenter quid optimum sit, eligas. Quōd si totum  
tibi persuadere non possum; saltē, dum, quid de  
Hispaniis agamus, scitur, expecta: quas tibi nun-  
tio adventu Cæsarī fore nosīras. Quam isti spem  
habeant amissis Hispaniis, nescio. Quod porrō tuum

consilium sit ad desperatos accedere, non mea diusidius reperio. Hoc, quod tu, non dicendo mihi significasti, Cæsar audierat: ac, simili atque, ave, mihi dixit, statim, quid de te audisset, exposuit. Negavi me scire: sed tamen ab eo petiti, ut ad te litteras mitteret, quibus maximè ad remanendum commoverti posses. Me secum in Hispaniam ducit. Nam, si ita faceret, ego prius, quam ad urbem accederem, ubicumque esses, ad te percurrissem, et hoc à te præsens contendissem, atquè omni vi te retinuisse. Etiam atquè etiam, mihi Cicero, cogita, ne te, tuosque omnes funditus everias, ne te sciens, prudensque eō demittas, unde exitum vides nullum esse. Quod si te aut voces optimatum commovent, aut nonnullorum hominum insolentiam, et jactationem ferre non potes; eligas censeo, aliquod oppidum vacuum à bello, dum hæc decernuntur, quæ jam erunt confecta. Id si feceris, et ego te sapienter fecisse judicabo, et Cæsarēm non offendes. Vale.

## ARGUMENTUM.

Queritur, se Curionis amore, et Appii odio ab optima mente descivisse, et Cæsarēs partes potius, quam Pompeii secutum esse: cuius rei culpam partim in fortunam, quod in Hispania fuerit, quo tempore Cicero ad Pompejum in Græciam profectus est: partim etiam in Ciceronem ipsum conferri; postremo, quid moliantur, exponit.

M. Cœlius M. T. Ciceroni S. D.

Ergo me potius in Hispania fuisse, quam Formis, tum, cum tu profectus es ad Pompejum?

quod utinam aut Ap. Claudius in ista parte, aut C. Curio: cuius amicitia me paulatim in hanc perditam causam imposuit: nam mihi sentio bonam mentem iracundia, et amore ablatam. Tu porrò, cum ad te, proficisciens noctu Ariminum, venissem, dum mihi pacis mandata das ad Cæsarem, et mirificum civem agis, amici officium neglexisti, neque mihi consulisti. Neque hæc dico, quod diffidam huic causæ: sed, crede mihi, patire satiūs est, quam hos videre. Quod si timor vestrae crudelitatis non esset, ejecti jampridè hinc essemus. Nam hic nunc, præter fœneratores paucos, nec homo, nec ordo quisquam est, nisi Pompejanus. Evidem jam effeci, ut maximè plebs, et, qui antea noster fuit populus, vester esset. Cur hoc, inquis? imò reliqua expecta: vos invitatos vincere coegero. Irritavi in me Catōnem. Vos dormitis, nec hæc adhuc mihi videmini intelligere, quæ nos pateamus, et quæ simus imbecilli. Atquè hoc nullius præmii spe faciam, sed quod apud me plurimum solet valere, doloris atquè indignitatis causa. Quid istic facitis? prælium expectatis, quod firmissimum est? vestras copias non novi, nostri valde depugnare, et facile algere, et esuiri consuerunt. Vale.